

cura diligentia et iudicio fieri per praesentis privilegii munimen statuo et confirmo. Sit ergo ab apostolica sede, cui deo auctore praesideo, ecclesiae tuae concessum, ut ab eius rectoribus episcopi, qui ultra Albiam et Salam constituti et constituendi sunt, post-futuris temporibus consecrentur, et ipsi eiusdem tuae scilicet ecclesiae archiepiscopos, sicut pro tempore fuerint, consecrent, qui pallium secundum morem Romanae ecclesiae a nostra sede recipiant. Unde frater karissime, dilectionem tuam ammoneo et obtestor, ut omnino sis sollicitus, ne aliquid sibi commodi datio³⁾ aut gratia vel quarumlibet supplicatio personarum in sacris ordinibus vendicet, sed ad hoc officium ille perducat, quem morum gravitas commendet, et vitae praeteritae actio. Oramus autem omnipotentem deum, ut sua te munitione circumagat et sacerdotii susceptum officium operibus implere concedat. Actum per manum Stephani seriniarii et bibliothecarii sanctae Romanae ecclesiae in mense Octobre, indictione statutum duodecima.

Nach dem Liber priv. S. Maur. fol. 6. im Geh. Staatsarchiv zu Berlin (A.) vergl. mit dem Copiar. LVII. fol. 313 im Prov.-Archiv zu Magdeburg (B).

Boysen hist. Mag. I. S. 136. — Mansi nova coll. conc. XIX. p. 6. — Leibnitii ann. imp. ed. Pertz. III. p. 247. — Riedel cod. dipl. Brand. I. Bd. 8. S. 98.

³⁾ dato A.

No. 7. 968. Oct. Nov.

K. Otto I. erklärt, dass er den Bischof Adalbert zum Erzbischof von Magdeburg ernannt habe, fordert Bischöfe und Grafen auf, bei der von diesem zu vollziehenden Weihe der Bischöfe von Merseburg, Zeitz und Meissen zu erscheinen und weist namentlich die Markgrafen Wigbert, Wigger und Günther an für anständigen Unterhalt der genannten Bischöfe Sorge zu tragen.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Otto divina favente clementia imperator augustus omnibus fidelibus nostris, episcopis scilicet et comitibus ceterisque com-provincialibus nostris aeternam in domino salutem et omne bonum. Quoniam augmentum divini cultus salutem et statum esse regni vel imperii nostri credimus, idcirco cunctis quibus posse suppetit modis hoc amplificare tendimus et desideramus. Igitur Magadaburgensi civitate, sicut omnium vestrorum novit caritas, archiepiscopalem sedem fieri desiderantes, oportunum etiam nunc temporis ad hoc peragendum tempus inveni-entes, consilio venerabilis archiepiscopi Hattonis et Hildeuuardi episcopi ceterorumque fidelium nostrorum, virum venerabilem Adalbertum episcopum Rugis olim praedica-torem destinatum et missum, archiepiscopum et metropolitanum totius ultra Albiam et Salam Selavorum gentis modo ad deum conversae vel convertendae fieri decrevimus pariter et elegimus, quem et Romam pro pallio a domno papa suscipiendo direximus. Et ut haec nostra electio firmior et subnixior fiat, eum vestrae caritati dirigimus, et ut a vobis omnibus et vocum acclamatione et manuum elevatione electus suae sedi inthronizetur, omnimodis desideramus. Ne vero haec eius electio vel inthronizatio futuris, quod absit, temporibus aliquorum valeat invidia molestari, tres ab illo epi-scopos, unum Merseburgo, alterum Citicae, tertium Misnae, in praesentia legatorum domni papae et vestra volumus ordinari, ut haec eadem praesentia vestra ante deum et sanctos ejus intentionis nostrae sit testis futura. Et quia vir venerabilis Bòso multum iam in eadem Selavorum gente ad deum convertenda sudavit, inter Merse-burgensem et Citicensem ecclesiam quam velit, electionem habeat. Altera vero secun-